

haberet. Quem Proteus edocuit iram Deorum esse: quidd Troja esset devicta: ideoque hac fieri debere: nimirum, hecatomben, cum centum armenta occiduntur. Itaque Menelaus fecit: tum demum post octavum, quam ab Illo decesserat, annum, cum Helena in patriam redit. Ovid. 1. Fastor. v. 373.

Ovid. Ille suam faciem transformat, & alterat arte. Mox domitus vinclis, in sua membra redit.

Pharmacum letitiae. Helenam tunc à Menelao non fuisse occisam, Veneris auxilio tribuunt Poetae. Homerus potioni quam confecerat in oblivionem omnium malorum, quae apud Aegyptios dicebatur Pharmacum letitiae, ut videbitur, 3. Jul. de quo Philostr. 7. de Vit. Apollonij, cap. 11. ex Homer. Allegoricum hujusmodi poculum arbitrantur Plutarch. in sympo. lib. 1. quaest. 1. & Macrob. lib. 7. Saturnal. cap. 1. sed verè pharmacum confectum ex herba Hepenthe, à qua hilaritas, diximus, 9. Februar. à n. 27. ex probatis AA. quod etiam astruit Athenaeus, 5. n. 9. Herodot. d. & Joann. Spondan. in Odyss. 4. Unde dictum poculum Crater Helena, quod illa propinavit Lacedaemone ad Telemachi adventum; ut Homer. ibid. succinit, à v. 221.

Crater Helena. Absque dolore inducta sic oblivione malorum. Hoc habuit Jove nata probum praesensque venenum, Quod Polydamna, Thoni donaverat uxor. Aegypti qua terra ferax fert plurima mimum:

Mer. Multa quidem proba, multa autem damnosa venena. Huc etiam Aegypti Dij me tenere, reverti Conantem, quibus haud tuleram solennia sacra.

Victoria Xerxis ad Thermopylas. Hac in die à nonnullis signatur victoria Xerxis ad Thermopylas, causam Graeciae propugnante Leonida, Spartanorum Rege, mortuo & victore; sed aptius hujusmodi Xerxis Cadmea victoria in aestate figuratur, uti videbitur, 14. Jul. Licet cuncta gesta à Xerxe celeriter facta, nequibant patrii ita brevi tempore; cum diuturnius vel ad movendum exercitum, necessarium: maxime cum referat Diodorus Sicul. lib. 11. n. 262. Bellum Medicum durasse per biennium. Videlicet, 13. Februar. n. 25.

Victoria Lyfandri de Atheniensibus. Eadem die post ann. 75. contigit victoria Lyfandri Lacedaemonis de Atheniensibus ad Aegos-Potamos, qua omnino nomen Atheniensium deletum, immò Athenae post captae, & pro Archonte civium certicibus impositi triginta tyranni, ut videbitur, die 16. à n. 23. Jam enim Lyfander legatum Alcibiadis (tunc classis Praefecti, quem Lyfander propter calliditatem, haud per vires formidabat) nomine Antiochum

vicerat; quia aberat Alcibiades, qui severe, cum discederet, iussit, nullo modo, esto victoria arrideret, cum Lyfandro configere: ipse enim sciebat levatam esse oppressionem Lacedaemonum à Cyro, Danij Regis Persarum filio; unde hostilis classis jam per aequor vagabatur, 70. navibus. Verum Antiochus naturam praecipit, suoque Marte egregium facinus perpetrandum cogitans in conflictu vitam, quindecimque naves longè praestantissimas amisit. Qua utique clade Athenis audita, Alcibiades ignominiosè exauctoratus est, & Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos, cui Duci succedisset, classem maximam industriam exornat; sed navibus exercitus deerat. Justin. Histor. lib. 5. & Diodor. Sicul. 13. n. 368.

34 Lyfander autem à Cyro degente Sardis, rebus omnibus instructus, monitusque ne configeret, nisi numero navium longè superior; digressus, ad Aegos-Potamos venit cum classe, quo in loco versabantur Athenienses; sed adeo eum contemnentem, ut à navibus suis longè abirent. Absentiam virorum fortium vacuis navibus, deprehendit Lyfander; & viriliter in classem Cononis irruit: eamque capit, priusquam milites Ducesque digressi eas subirent: tantum Cononis navis cum septem alijs arma corripere: at in tanta rerum perturbatione, de fuga potius, quam praelio cogitarunt. Quapropter Conon fugit in Cyprum, veritus populi Atheniensis ex dolore furorem. Lyfander incuentam victoriam Spartae dominatum Graeciae dedit & Atheniensibus abstulit: quem illis Conon prius astruxerat inclytam victoriam de Lacedaemonibus parta, classis eorum Duce Pisandro. De illa ergo in Conone Amil. Probus: Hos apud Cnidum adortus, magno praelio fugat, multas naves capit, complures depimit: qua victoria non solum Athene, sed etiam cuncta Graecia, quae sub Lacedaemoniorum fuerat imperio, liberata est. Verum in sententia Theopompj & Diodor. Sicul. à n. 442. factum posterioribus temporibus.

35 Ergo Lyfander scuto aereo in navelato, quod signum hostes invadendi; turbam classicum cecinit; & universam Atheniensium classem, exceptis navibus cum Conone abeuntibus, gloriosè cepit: alligatisque ad suas ad tibiae cantum & pæana Lampfacum revertitur. Fuere, qui iuxta ejus navem (ait in eo Plutarch.) cum primum è portu contra hostes proveheretur, ab una parte Castoris, ab altera Pollucis stellam ad gubernacula assulisse; dicerent. Quidam lapidis casu eam rem praemonstratam fuisse, asse-

Alcibiades exauctoratus, & sufficitur Conon.

Qui victus cum classe à Lyfandro.

Ejus de Spartanis victoria.

Portenta in Lyfandri victoriam.

Lapis Anaxagora. asserunt. Decidit enim de caelo ingens lapis ad Aegos-Potamos: ostenditurque adhuc, & ab ijs qui Cheronensem inhabitant, colitur. Ferunt Anaxagoram praedixisse; quoniam caelestia corpora mutuo essent connexa; fore, ut agitatione eorum aliquando labefactatum avulsimumque decideret. Neque verò stellas esse in ijs locis, ubi cornuntur, sed quia lapidea sint & gravia corpora lucere ea refractio in ipsis aethere: circummagi autem constricta verigine, & vehementia motus caelestis, eumque motum compactorum corporum ita obtinuisse, ne colum rueret (Praedarum utique ratiocinium! de quo jam actum, Tom. 7. T. 8. à n. 85. & refert Diodor. Laert. in eo, lib. 2. Ita ergo etiam fictum, Atlantem quotidie malleo tundere stellas convulsas, defixas aut reflexas, ne continuo motu cadant.) Anaxagora testimonium fert Damachus, in opere de Religione scribens; antequam is lapis decideret, septuaginta quinque continenter diebus visum fuisse in caelo corpus igneum prae-grande, & nubis inflammata simile, non otiosum, sed quod varijs neque continenter, sed veluti fractis motibus ferretur; ita ut ejus iactatione avulsa, & dilata in varias partes, fragmenta fulserint stellarum salutarium modo.

36 Victoriam, Agiam vatem divinasse Lyfandro, inquit Pausanias, cap. 92. Petav. 1. p. Ratonar. lib. 3. cap. 9. refert in April. Sunt statuae à regione qua Lacedaemonij Atheniensibus victis dedicarunt Delphis: Castores nempe, Jupiter, Apollo, Diana, cumque his Neptunus & Lyfander, à Neptuno coronam accipiens: Abas praeterea, quo vate usus est Lyfander, & qui fuit praetoris navis gubernator. Pausan. cap. 325. Lyfander ex manubijs aeream sui statuam Delphis posuit, & uniuscujusque Praefectorum navibus, & stellas Castorum aureas, quae ante Leutricam pugnam de medio sublatae sunt. Primum enim ei Graecorum aere sunt à civitatibus posita tanquam Deo & sacrificia peracta in ejus honorem. Ita in eo Plutarch. Multa in patriam clara fecit, sed plura incommoda: qua de causa ambigitur à Pausania, cap. 307. An Lyfandri principatus plus detrimenti Spartanis, quam emolumenti attulerit?

Statua Lyfandro, & socijs pugnae.

Habitus Dens.

DIES IV. MARTIJ.

IV. N. 1. Rad. 14. Solis in Piscibus, in quo Favonius, vel Auster flat. Colum. Qui habuerint in horoscopo, maximis gaudebunt dignitatum insignibus; sed à piratis occiduntur. Jul. Firmic. Arcturus simul emergit. Ptol. Ala dextra Pegasi vestpe Tom. 1. Ephemer.

re occidit. K. R. P. De Pegaso fusè, Isag. Januar. à n. 4. Ab Hebr. & Arabibus dicitur Equus cornutus. Kirch. d. cap. 6. Ad Hygin. de Poetic. Astronomic. n. 19. & Sign. caelest. n. 17. German. Caes. d. n. 15.

Albo fulget Equus, tres armo, sed latera aequis

Distingunt spatijs: capiti cristissima forma Veloces agitat pennas, & sidere gaudent. Pegalus typus fuit Africae inter Romanos, ut videtur in numismatibus Augusti apud Goltz. in eo Tabul. 35. & Hemelar. in Tiber. Tabul. 4. Vir ligna secans in silva. Sphaer. Arab. Hac die Josephus se manifestavit fratribus Frater, continuato majore apparatu convivio, quod à die primo, quo denuo cum Benjamin venerant Memphim, Aegypti praefectus instituerat; exitu felicissimo tragodiae compositae fratribus, fictaeque officiosè, ut jocaretur, qui pridem propter illos & ab illis tot indigna perpetuus. Vid. 29. Februar. à n. 1. Reuclm.

2 Anno 2. à libertate Israelis de populo superstitioso, oblatio Elisur pro tribu Ruben in dedicatione Tabernaculi, eisdem muneribus quibus alij Principes. Numer. 7. 30. Anno 13. è Thare venerunt Israelitae usque in Methca, Mansion. 25. ibique degerunt usque in 18. April. ann. 14. Ab hinc anno 26. placet Adrichomio reversos ad Josue exploratores Jericho: cui favet Serar. in 6. Josue, quaest. 31. Hac etiam die posterioribus temporibus patriam reliquit Ruth, sequens focrum Noemi. Raschi. Serarius in Ruth 1. quaest. 27. cogitat exitum die 10. ita ut in itinere conficiendo tantum consumpti fuerint dies octo: probatque ex Strabone, qui lib. 16. ait: Ubi Judaeam proximè attingit Petra; trium vel quatuor dierum ab ea iter est Jerichontem usque. Exitum refert Scriptura à v. 7. Noemi valedixit nuribus, ut discederet salute dicta cum bona gratia: verum illae remanere nolentes, abeuntena cum lachrymis felicibusque votis profectae sunt tantisper. Egreffa est itaque de loco peregrinationis suae cum utraque nuru: & cum pervenisset in viarum divortium, ut carperet quae in Judaeam; Orpha osculata Noemi, reversa est ad populum suum & ad Deos suos. Mira sunt, quae de illa commenti sunt Rabbini, potissimè Philo Biblius in suis Aniq. & Paraphrasis Chaldaica: igitur illapsa nocte dicebat à focru, fingunt Orpham, nimis salacem, cum centum viris & uno cane concubuisse, ex quorum copula conceptus est gigas Goliath: ideo venienti David adversus eum in funda & lapide; dixit.

Ruth reliquit patriam.

Orpha mater Goliath, ex quibus illum concepit.

xit : Nunquid ego canis sum ? O viri lepidi ! Meminimus, Tom. 5. T. 2. n. 5. sicut Rupert. in 1. Reg. lib. 1. cap. 2. & Prudent. in Hamartigen. à v. 843.

3 Ruth etiã viderat discessum sororis, nunquã vel sua persuaderi potuit, ut forum relinqueret. Quare cum Noemi ejus videret & prae amore in meditato proposito animam obstinatum ; assensit, profectaque sunt simul & venerunt in Bethlehẽm. v. 19. Paraphr. Chald. & Raschi : Illa ascenderunt in Bethlehẽm in ipsis Paschis ascensionibus, cum adisset Paschalis dies : & in illo die coeperunt filij Israel metere gomer, manipulum spicarum, qui elevatum coram Domino offerri solebat, & erat ex hordeo. Levitic. 23. 10. Unde si illo in die utriusque adventus, fuit sane primo die azymorum, qui non potuit cadere in diem 18. hujusce mensis, ut signatur ibid. num. 3. nisi dies numeretur per Lunam Nisan, qui necessarid post diem 22. usque in 25. Aprilis. Quapropter dies Lunae intelligendus, non dies mensis; sicque protrahendus est dies adventus utriusque in Ephrata; ut respondeat Paichati. Vide Serar. in Josue 3. part. 2. quæst. 5. Haud cessant Rabbinicæ fabulæ. Rabb. Isaac in Baba-bathra, cap. 5. somniat, notatque Raschi, uxorem Booz illo die utriusque adventus, fato functam, in cujus justis cum cives essent, & venientem Noemi, in patriam reducem viderent; dixerunt vel gaudentes, vel irrisores: Hac est illa Noemi? v. 19. Sese offert venusta allegoria in conversionem Gentilitatis ad Deum vivum & verum, comite in terram Judææ vetulæ Noemi: equidem adinstar Ruth veteri lege ductrice, quia Hebræis credita sunt eloquia Dei; Gentilitas pervenit in cognitionem veri Numinis, abjectis idolis, collocata in Judæa, ubi Deus notus.

4 Post annum octavum à principatu Judicaturæ Israël, ut diximus 27. Januar. n. 2. mors contigit Abdon. Rabb. Abrah. in Juchasin. Torniell. in Tabul. signat annum & mensem, non diem. De illo Joseph. 5. Antiquit. cap. 9. Septuaginta filios & nepotes egregios equites superstites reliquit, & senex magnifice sepultus. Aliter, immo oppositum referunt alij Rabbinij apud Genebrardum in Chronolog. ann. 3006. Hunc quadraginta filios & triginta nepotes sepelisse, antequam moreretur, ferunt. Munster. hic sententiam sequitur, dicens: Alij putant, magnificentiam istam, quam hic Scriptura narrat, mortalibus esse monitionem; cum iste nullum ex tot filiis post se populi reliquerit gubernatorem: nam cum adhuc vi-

veret, mortui sunt omnes filij ejus & successoresque illi paulopost Samsõ. Illustris in munere sine dubio fuit: de quo Briet. Ann. 2879. Obijt Abdon, quem obscurare visus est Samsõ ejus successor, ad miraculum fortis, & qui majora vere præstitit, quam fabulæ Herculi suis commentis affinxerunt. Eluxit Abdonis virtus & auctoritas: quandoquidem, eo superstitite, nemo ex populo Israël ausus est ire post vana idololatrarum simulacra.

5 A morte Abdonis anno, 107. & à cæde Abneris diebus septem, ut ait Rabb. Salomon, interfectus est Isboseth à duobus sicarijs, qui in domo Regis Saulis sub Jonatha summis erant honoribus dignati. Ingredi enim domum seu Regiam Isbosethi, cui prætoria cohors erat ancilla, purgans tritici grana, sed in somnum soluta; ut inquit Joseph. eum post meridiem tantisper quiescentem, jugularunt, ejusque caput, utinere tota nocte continuato, è Manan ad David commorantem in Hebrone, ipse gratiæ detulerunt. Expavit David, & perniciam exprobravit, exquisitusque tormentis interfici jussit: igitur truncatis pedibus & manibus, acti sunt in cruce super piscinam Hebron, juxta sepulchrum Abner, ut signat Adrichom. in Juda, n. 147. In hoc tumultum intulit David caput Isboseth. 2. Reg. 4. à 1. Joseph. 7. Antiquit. cap. 2. & Comestor, cap. 6.

6 Aliquid molitos adversus Isboseth, etiam ignotum, autumant Expositores. facti, qua de causa hos, qui principes copiarum (dicuntur Laronum, id est, militum) fugisse traditur: v. 3. Quod cogitare nequimus, astruunt Rabbinij: sic enim in illorum Traditionib. refert Doctor Maximus. Duo viri isti, principes erant super expeditiones Isboseth, mortuoque Abner, conciliati sunt cum Miphiboseth, ut una interficerent Isboseth, & eundem consilij delatorem Miphiboseth extirpsse: incirco hic introducit. Videntes vero Baana & Rechab à Miphiboseth suum proditum esse consilium, timore perterriti fuga lapsi sunt in Gethaim (id est, in Geth) fueruntque ibi advena usque ad tempus illud. Tempus illud intelligendum est, quando inde reversi sunt domum Isboseth, ac fervente die ingressi, assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine. Spicas tritici, quasi causâ primitiarum tulerunt; ut honorem Regi deferre viderentur, & eorum dolus nequaquam deprehenderetur. R. Salom. apud Lyran. hic effudit mira, sed cogitationes sine intellectu. Cum spicis ingressos asserit sub specie mercatorum, quippe

Elogium Samsõis.

Isboseth cæditur à sicarijs.

Adventus Noemi & Ruth in Bethlehẽm.

Uxor Booz obiit.

Symbolum conversionis Gentilium.

Abdon iudex Israel diem clausit.

pe horrea Regis tritico abundabant: quod etiam astruit text. Chald. Alij apud Serar. hic, ne cognoscerentur spicis testi. Delirium. Isboseth morte, undecim tribus commotæ, videntes se sine Duce, usquequaque profligatas à Philisthæis, victrice nonnunquam tribu Juda, super quam Princeps David; eum decreverunt ungere Regem super universum Israël, uti post varia concilia Seniorum & consilia fecerunt post mensem, uti videbimus, 3. April. n. 10.

7 Ab hinc ann. 23. ut numerat Briet. post conceptam proditorem, Abalom, ut fortiretur optatum effectum, facultatem & benedictionem à patre petijt, ut solveret in Hebron (civitate ubi David constitutus fuerat Rex) vota concepta, modò in ejus deveniret gratiam, & habitaret cum illo in Hierusalem. Rabb. Abrah. Zacuth. in Juchasin. Torniell. Ann. 3005. signat mensem, sed non diem. Conspiratio facta est antequam patesceret, juxta Hebræos, inter Achitophel, consiliarium David, & avum Bethsabeë, filia Eliam (alio nomine Ammiel) filij Achitophel; & Nabath, patrem Jeroboam, qui licet Ephratæus, ex Benjamin dictus, propter affectionem in domum Saulis: immo addunt in 2. Reg. 16. Tradition. ipsum fuisse Semei; de quo, 10. Jun. n. 4. Nonnulli addunt Amasam, qua de causa Abalom eum fecit magistrum militiæ. 2. Reg. 17. 25.

8 Joram Rex Israël, ut vidimus 28. Februar. num. 5. cum potenti exercitu vallasset Ramoth-Galaad, validè restitit Hazael, noviter electus in Regem Syriæ, sed à Domino, uti dictum, 25. Februar. n. 4. seque dignum principatu acriter pugnando præbuit: nec minus fortiter Joram, licet multas plagas accepisset in certamine (à Joseph. 9. Antiq. cap. 4. dicitur: In ea oppugnatione sagitta ictus à quodam Syro non lethaliter.) qua de causa, ut facilius curaretur, deportari se voluit in Jezaël, ubi mater Jezabel erat, atque turba medicorum, relicto in Ramoth-Galaad toto exercitu sub præfectura Jehu: Erat autem ei propositum (inquit Joseph.) percussato vulnere, Syros bello aggredi. Ita Comestor in 4. Reg. 13.

9 Ex textu Hebræo, quia legit: Joram erat custos Ramoth-Galaad à facie Hazaelis, Regis Syriæ; cogitat Cajetan. in 4. Reg. 9. 14. Joram non fuisse urbis expugnatorem, sed propugnatorem; quippe jam civitas in ejus potestate; sed incognitum, quando. Non incognitum. Joram in Azaram urbem (id est Jezaëlem) vulneratus se recepit, curandi vulneris gratiâ, relicto in obsidione toto exercitu,

cui Jehum Amasis filium, præfecerat; qui illam vi expugnatam recepit; subdit Joseph. Hinc claret, quomodo in hanc urbem, quæ jam Israël, missus fuerit ab Eliseo unus ex filijs Prophetarum, ut ungeret Jehum in Regem Israël; ut dicitur ibid. à v. 2. & videbimus, 11. April. n. 2. Quandiu hæc agebantur descenderat Ochozias Rex Juda ut valescentem videret Joram; sed Dei judicio, ut uterque cum Jezabele tolleretur è medio per Jehum. Hac in die obitus Mardochei. Eutyech. in Annal. Alexandr. Sepultus cum Esthere in Media. In illa urbe è regione unius ex Synagogis, Mardochei & Esther sepulchra sunt. Benjam. in Itiner. pag. 86.

10 Cum pridè conversatus Andreas cum Salvatore, quid divinum de illo concepisset; felicitatem Petro fratri participare voluit, & eum ad Jesum adduxit. Ipsomet die Jesus vocavit Philippum, qui Natanaëlem adduxit ad Christum. Alapid. ex Joann. 1. à 40. in Chronot. n. 11. Ann. ultim. Concilium à Principibus Sacerdotum habitum de occidendo Christo. Idem n. 57. Tuncque Jesus vadit in Ephrem trans Jordanem. Marian. n. 18.

31 Romæ votum templum Junoni Monete, quod dicatum anno sequenti, 1. Junij, tuncque sacra fiebant. Duo templa Junoni Monete fuisse in Urbe, constat ex Marliano, Topograph. cap. 11. & 52. Unde ut distingui possent, una ex imaginibus collocata est in arce, dictaque Juno Regina; ut vidimus, 16. Februar. à n. 10. Altera in Aventino, dictaque Juno Castrensis. Constant. in 6. Fastor. Ovid. v. 181. Lucanusque, 1. Pharsali. v. 180.

Numina miscebit Castrensis flamma Moneta. Lucan. Sicut ædes Reginae extructa & dicata à Fur. Camillo; ita Castrensis voto concepta, esto non dicata. Ann. V. C. 409. juxta Saliani opinionem, bellum adversus Aruncos tantum terroris Romæ attulit; ut Dictator crearetur Fur. Camillus, qui tunc Junoni Monete ædem vovit, ut victoriâ fungeretur. Progressus ergo in certamen magis ad fugam quam ad pugnam paratum invenit hostem: quapropter facile sopitum bellum. At cum ob factum triumphi invidia Quiritum laboraret, exul spontè vertit solum, cedens furori, cum victor accusaretur. Ita perficere non valebat, quod verbis conceptis voverat. Senatus autem Decemviro creavit, qui templum locarunt in area, ubi M. Manlij Capitolini ædes diruta fuerant; ut is locus esset monumentum religionis & pietatis, qui fuerat justitiæ in supplicium proditio-

Decernitur à tribus exaltatio David in Regem Israël.

Conspiratio Abalom in Davidem.

Vulneratur Joram & recedit in Jezael.

Ramoth-Galaad expugnatur à Jehu.

Mardochei obitus.

Christi gesta.

Ædes Junonis Monete.

Lucan.

Juno Regina & Castrensis.

tionis. Plutarch. in Camill. Lev. 5. sect. 92. & Rosin. 6. Antiq. cap. 2.

12 Variant AA. ut præmissi, & jurès etenim haud facilè quit efformari judicium. Verùm quantum auguror, jam ædes erant Junonis Monetæ priusquam Veientes & Aruncos superaret Camillus. Solin. cap. 2. de Tatio, qui cum Romulo in Urbe regnavit, inquit: In arce ubi ædes Junonis Monetæ septimæ & vigesimæ Olympiade hominem exiit. Etiam constat tempore Numæ. Fcst. Pompejus pœnam ex ipso designat pellici, Junonis tangenti aram. Constituta (ait, lib. 15. n. 25.) à Numa Popilio hac lege: Pellex Aram Junonis ne tangito. Si tanget, Junoni criminibus demissis nigrum femi-nam cedito. Alij dicunt, Junoni Monetæ, sub titulo Reging, ut erat inter Veientes, ædem votam Camillum sacrasse, dum simulacrum ejus in Urbem invexit: Junonis verò Monetæ sub titulo Castrensis, ædem haud votam in bello Aruncino, sed in Prænestino, quo tempore in castris jacebat ægers; at cum collega ejus L. Furius temerè pugnasset, & in castra Romanos fugientes vidisset; Non se continuit (infit Plutarch. d.) quin lecto exiliens cum suis comitibus, ad portam castrorum fugientibus obviam rueret, ac per eos ad insequentem usque hostem prorumperet. Itaque & qui castris jam appropinquabant, pedem statim referentes, Ducem secuti sunt, & priores firmato gressu ante eum in orbem coierunt, mutuo sibi fidem dantes, non defecturos sese Imperatori. Postisti Camillus eduxit in aciem, hostes praelio fudit, fugientibusque instans, eodem impetu castra cepit; & reversus inde Romam cum ingenti prada. Alia quæ in haccine dedicatione Junonis Monetæ templi acciderunt; dicemus, 1. Junij.

13 Anno abhinc 296. ut observat Briet. accidit procella, qua ferè mersum totum imperium Romanum; cum esset discriminis causa, nimia felicitas, ut inquit L. Florus lib. 4. cap. 2. qui severo, minimè obliquo judicio, refert totum articulum. Jam penè toto orbe pacato; majus erat imperium Romanum, quam ullis viribus extinguì posset. Itaque invidens fortuna Principi Gentium, ipsum illum in exitum suum armavit Cesaris furor atque Pompeij, totum denique qua patebat imperium, quodam quasi diluvio & inflammatione corripuit. Sic igitur Cesare dignitatem comparare, Pompejo reinere cupientibus, omnibusque pariter potentia cupidis, de invadenda Republica facile convenit. Jam Pompejo suspicte Cesaris opes, & Cesaris Pompejana dignitas gravis. Nec hic ferebat parrem, nec ille superiorem. Hinc civile inter utrum-

Pellex remota à sacris Junonis.

Insignis spiritus Fur. Camilli agro corporis.

Initium belli civilis inter Cesarum & Pompejum.

que bellum, & plusquam bellum; quippe commune. Origo, peritio Consulatus à Cesare, cui respondit Senatus, quod veniret & peteret more Majorum, ac remitteret exercitum; quod facere renuit, quo hostis Republicæ habitus: ægrè tulit, statuitque præmia armorum armis defendere; ut Consulatum quem per Senatum negabat Pompejus, acquireret gladius.

14 Sic habita consilia 7. Januarij, expectantè Cesare in Ravenna Senatus responsum. Vidit repulsam, de Republica injurijs coram exercitu questus, petijt, ut ejus dignitatem & auctoritatem ab inimicorum violentià defenderent; iterque direxit notum in Rubiconem fluvium, dividenter Galliam ab Italia, quem ordo Sole transfivit hac die, ut observat Goltz. in Cesar. pag. 44. Quid antea factum refert Sueton. in eo, à cap. 31. Ad Rubiconem paulum constitit (ait) ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximios, Etiam nunc, inquit, regredi possimus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda sunt. Cunctanti ostentum tale factum est. Quidam eximia magnitudine & forma in proximo sedens repente apparuit, arundine canens: ad quem audiendum cum prater pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos & auctores (id est, tubicines) raptà ab uno tuba, prosiluit ad flumen; & ingenti spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cesar, Eat, inquit, quò Deorum ostenta & inimicorum iniquitas vocat. facta est alea: at ita trajecto exercitu, adhibitis tribunis plebis, qui pulsi supervenerant; pro concione fidem militum, stens ac veste à pectore discissa, invocavit. Hic multa congerit Casaubon. Appian. 1. Civil. dixisse asserit: Amici, hunc transitum si inhiuero, va mibi: si transiero, va universis mortalibus. Totum articulum & orationem decantavit Petronius in Satyric. Carm. 19. à v. 167.

Mea Roma noverca. Ite mei comites, & causam dicite ferro. Namque omnes unum crimen vocat, omnibus una. Impendet clades. Reddenda est gratia vobis. Non solus vici: quare quia pœna trophæis imminet, & sordes meruit victoria nostra, Judice fortuna cadat alea. Sumite bellum, Et tentate manus: cerè mea causa peracta est.

Inter tot fortes armatus nescio vinci.

15 Duci adversus novercam patriam dicit Cesar; eò quòd ad hujusmodi molimen plura invitaverant prodigia. Palma in basi (statuæ) Cesaris Dictatoris nata circa bel-

Ostenta ante bellum in amencæ saris saulium.

Transit Rubiconem.

Petron.

Prodigia.

bella civilia ejus. Victoriæ, triumphosque pertendit. Plin. 17. cap. 25. Ante bella civilia inter Casarem & Pompejum (inquit, Dio, lib. 41.) in ipsa urbe lupi & bubones frequentes extiterunt, & terramotus cum mugitibus. Ignis ab occidua cœli parte in orientalem perlatus est. Alius cum alia ædificia, tùm Quirini ædem excussit. Sol totus deliquium pertulit. Sceptra Jovis, galeaque Martis in Capitolio reposita, itemque in quibus leges extabant area columna, de cœlo caesa sunt. Idem asserit Cesar Bulenger. de Prodigijs, cap. 35. de quo fusè Jul. Obsequens, cap. 31. 45. 48. & 127. Alijs ostentis prænunciata fuit Cesaris in conamine fortuna; statim ac militibus eloquenti oratione deprompta vota. Petron. d. à v. 177. succinit:

Hec ubi personuit, de cœlo Delphicus ales Omina lata dedit, pepulitque meatibus auras. Necnon horrendi nemoris de parte sinistra Insolite voces flammâ sonuere sequenti. Ipse miror Phœbi vulgato latior orbe Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus. Fortior omnibus movit Mavortia signa Cesar.

Petron.

Alia videsis apud Lucan. à v. 540. lib. 1. Plutarch. in Pompejo, Florum, Goltz & Sueton. loc. præcit. Aptè dictum bellum hoc civile plusquam bellum; quoniam ejus reliquie perstiterunt usque ad Augusti victoriæ Actiacæ; de qua, 2. Septembr.

16 A principio belli Civilis retrò ann. 193. V. C. 512. juxta Reufner. in Diar. & Goltz. in Fast. pag. 96. de Faliscis triumphavit A. Manlius Torquatus Atticus, qui cum collega, Q. Lutatio Cerceone illos subegit, excitato bello eò quòd Magistratum Romanum sprevere; ut dictum die 1. n. 13. Anno abhinc 28. præut placet Turfellino fuga Philippi filij Demetrii Gonatæ, Regis Macedonia. Plutarch. de Dieb. Post cladem Cannensem misit ad Annibalem legatos pro foedere, quos intercepit Marc. Valer. Lævinus, classis Rom. Præfectus; qui provideret consilio communicato Senatui, ne Philippus, imparatis Romanis in Italiam ad Annibalem transiret. Tunc Philippo Macedonum Regi bellum indictum est, qui ad Apolloniam nocturno praelio oppressus fugatusque, in Macedoniam cum propè inermi exercitu per fugit. Ad id bellum gerendum Valerius Prætor missus est. Liv. lib. 24. à sect. 30. & Flor. lib. 2. cap. 7.

Philipp. IV. Regi Macedoniae indicitur bellum.

17 Hoc in tempore præmissa multa prodigia, exitum belli indicantia, de quibus Bulenger. d. cap. 20. Liv. quò dudum, sect. 31. ut lolet, fuse refert. Prodigia hoc anno

(ait) multa nunciata sunt: quæ quò magis credebant simplices ac religiosi homines; eò etiam plura nunciabantur. Lanuvij in æde intus Junonis Sospitiæ corvos nidum fecisse. In Apulia palnam viridem arsisse. Mantua stagnum effusum Mincio anni cruentum visum. Calibus Creta, & Roma in foro Boario sanguine pluisse. In vico Istrico fontem sub terra tantâ vi aquarum fluxisse, ut serias doliaque provoluta velut impetus torrentis tulerit. Tacta de cœlo atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, nucem in Sabinis, publicamque viam, murum ac portam Gabijs. Jam alia vulgata miracula erant: hastam Martis Præneste sua sponte promotam: bovem in Sicilia locutum (an dixit, Mu?) infantem in utero matris Marrucinis, Jo triumphæ, clamasse: ex muliere Spoleti virum factum: Adria Aram in cœlo, speciemque hominum circum eam cum candida veste visas esse. Quin Romæ quoque in ipsa urbe apum examen in foro visum; affirmantes quidam legiones armatas se in Janiculo vidisse, concitaverunt civitatem ad arma. Qui tunc in Janiculo erant, negarunt, quemquam ibi præter assuetos collis ejus cultores, apparuisse. Hæc prodigia hostijs majoribus procurata sunt ex aruspicum responso, & supplicatio omnibus Dijs, quorum pulvinaria Roma sint, indicta est. Adi Prolog. Galear. §. 7. Profecto Livius in hujusmodi frivolis futilibus cogitationibus, seu diabolicis tricis, univèrsam prodigionum materiam designavit; in quorum descriptione ita studiosè laborarunt Obsequens & Bulengerus.

18 Roma in articuli ambiguitate Prætozem Marc. Valerium in Consulè elegit; à quo Philippus malè acceptus est: ex Urbe Epiri Orico, Macedonas expulit. Legati quoque Apolliniates tunc accessere, rogantes auxilium adversum Philippum, urbem suam obsidentem. Nævius Crispus missus à Valerio, mille viros per occultos impervios tramites in urbem validè induxit: qui die sequenti in Philippum incautum erumpentes, eum tantum non cepere vivum: supervenienteque cum classe Valerio, Philippus est obsessus in portu. Unde Rex incensis navibus cum egente ac spoliato famelico exercitu, pedestri itinere repetijt Macedoniam; intelligens ex conflictu necdum Annibalem Romanos obtivisse. Briet. in Chronolog. ann. 540. sequens Salian. Petav. 1. p. Rationar. lib. 4. cap. 2. & 6. Flor. ubi supr. Bis (ait) victus, bis fugatus, bis exatus à castris. Romanis introisse, victoria fuit.

19 Apud Bœotos sacra Agronia. Meurs. in Græc. seriat. & Castellan. de Fest. Erant fe-

Prodigia in ejus exitum, & victoriam Romano - rum.

Victoria M. Valerij Levis de Philippo.

Agronia sacra.